



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies tertius et quartus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1866

Caput V. De austeritate vitæ ejus, et quomodo creaturæ præbeant ei
solatium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72907)

AUCTORE
S. BONAVEN-
TURA.

k *Extinctus hic in Italia Ordo est ab Alexandro VII anno 1636 per Bullam, quæ incipit: Vineam Domini, quæ est ejus Ecclesia; quæque exstat in Bullario Romano tom. VI.*

l *Tota hæc Morici ad Ordinem Minorum accessio, seu totus hic numerus a capite usque ad calcem, consideratur in editione Waddingi. Ceterum voces istæ initio positæ: Eo tempore late accipiendæ sunt; quia Tres Socii in Appendice eandem Morici accessionem expresse præmittunt itineri Romano supra relato.*

m *Propter hoc deest apud Surium: Waddingus legit: Propterea.*

n *Ezechielis cap. 9, v. 4.*

o *Tres Socii in Appendice num. 37 scribunt, id factum esse, post... locum sanctæ Mariæ obtentum a præfato abbate, nimirum de Monte Subasio; tuncque a S. Francisco sanctum fuisse, ut in posterum ibi capitulum fieret bis in anno, scilicet in Pentecoste, et in Dedicacione sancti Michaelis. Statutum hoc in Commentario prævio num. 285 cum Waddingo retuli ad annum 1212.*

p *Vox aliquando desideratur in editione Waddingi, sed exstat etiam in Vaticana et Suriana, et in codice nostro Ms. Annus autem, quo comitia tam numerosa fuere, incertus est; at verisimiliter fuerit unus e supremis vitæ S. Francisci, quando illius Ordo jam plurimum erat propagatus.*

q *S. Antonius, cognominatus Patavinus. Vide Annotata ad Vitæ primæ lib. 1, cap. 6, lit. h.*

r *Apud Waddingum est: Divina virtute et com-
monitione.*

s *In codice Ms. desideratur pium et; in Vaticana legitur pium sacrum.*

t *Examinanda hæc venient ad diem 11 Novembris, quo S. Martinus Turonensis episcopus colitur.*

u *Honorius III Innocentius III successit an. 1216.*

x *Id est, panem, qualis usus est in Sacrificio Missæ ad Corpus Domini conficiendum.*

y *Waddingus ad annum 1225, num. 9 duos hos socios Leonem et Bonizium, montem vero Columbæ seu Rainerii, ab urbe Reatina secundo lapide ad Meridiem situm, appellavit, in margine præter S. Bonaventuram laudans Marianum et Platum.*

z *Laudatus Waddingus jejuniæ hoc quadraginta dierum fuisse, fortasse ex eodem Mariano, asserit.*

aa *Idem Annalista ibidem num. 10 scribit, vicarium Eliam dissimulasse, seu simulasse, eam perditam, quasi revera perditam tunc non fuerit, sed quod nimis aspera videretur, occultata vel aliter amissa. Ibidem etiam alia narrat ad hanc Regulam spectantia, quæ certioribus testimoniis cuperem probari. Adi Commentarium prævium num. 483 et seqq.*

bb *Id est, anno Christi 1225, mense Novembri, ut alibi ostensum est. Ceterum causam, quæ sanctum Institutorem ad Regulæ confirmationem scriptam petendam impulit, ceteraque huc spectantia lege in Appendice Trium Sociorum num. 62 et sequentibus.*

cc *Huc faciunt, quæ S. Brigitta lib. vii Revelationum cap. 20 a Christo sibi dicta asseruit, scilicet hæc: Istius Francisci Regula, quam ipse incepit, non fuit dictata et composita ab ipsius humano intellectu et prudentia, sed a me secundum voluntatem meam. Quodlibet enim verbum, quod in ea scriptum est, a Spiritu meo fuit sibi aspiratum; et postea ipse aliis Regulam illam protulit et porrexit.*

dd *Confirmata fuit, ut dictum est, Regula anno 1225, mense Novembri exeunte; sacra vero stigmata S. Franciscus accepit anno 1224 circa medium Septembrem, ideoque decimo mense post Regulæ confirmationem; quapropter paucos illos dies, quos S. Bonaventura inter utrumque medios facit, latius accipiendi sunt. Adi Commentarium prævium num. 391.*

* t. e. eidem

CAPUT V.

De austeritate vitæ ejus, et quomodo creaturæ præbebant ei solatium.

Cum igitur cerneret vir Dei Franciscus, suo exemplo ad crucem Christi baulandam ferventi spiritu plurimos animari, animabatur et ipse, tanquam bonus dux exercitus Christi, ad palmam victoriæ per culmen invictæ pervenire virtutis. Attendens enim illud Apostoli verbum: « Qui » autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt » cum vitis et concupiscentiis a, » ut crucis armaturam suo ferret in corpore, tanta disciplinæ rigiditate sensuales appetitus arcebat, ut vix necessaria sumeret sustentationi naturæ. Difficile namque fore dicebat, necessitati corporis satisfacere et pronitati sensuum non parere b; propter quod cocta cibaria sanitatis tempore vix admittebat, et raro; admissa vero aut conficiebat cinere, aut condimenti saporem admixtione aquæ ut plurimum reddebat insipidum. De potu vini c quid dicam? cum et de aqua frigida * dum sitis æstualet ardore, vix ad sufficientiam biberet

38 Modos adinveniebat abstinentiæ potioris *, et quotidie exercitatione crescebat; licetque jam perfectionis culmen attingeret, tanquam incipientis semper aliquid innovabat, afflictionibus carnis puniendo libidinem. Egrediens tamen exterius, propter verbum Evangelii d, conformabat se suscipientibus ipsum in qualitate ciborum; cum tamen ad interiora regressus districte servaret rigidam abstinentiæ parcitatem. Sicque seipsum austerum sibi, humanum proximo, subjectum Evangelio Christi, per omnia reddens; non solum abstinendo, verum etiam manducando, præbebat aedificationis exemplum. Nuda humus, ut frequentius, lectus erat lassato corpusculo, et sæpius sedens, ligno vel lapide ad caput positio, dormiebat, unica paupere contentus e tunicula, in nuditate Domino serviebat et frigore. Interrogatus aliquando, quomodo vestitu tam tenui se posset ab hiemalis algoris austeritate * tueri, in spiritus fervore respondit: Si supernæ patriæ flamma per desiderium contingeremur f interius, frigus istud exterius facile portaremus.

39 Vestis horrebat molliciem, asperitatem amabat; asserens, propter hoc Joannem Baptistam ore divino fuisse laudatum g. Si quando vero in data sibi tunica lenitate sentiret, chordulis eam contexebat interius, quia non in casulis pauperum, sed in palatiis principum, juxta Veritatis verbum, vestimentorum dicebat requirendam esse molliciem h. Experientia enim certa didicerat, dæmones asperitate terreri; delitiosis autem et mollibus ad tentandum fortius animari. Unde cum nocte quadam propter infirmitatem capitis et oculorum præter solitum morem cervical de pluma positum haberet ad caput, dæmon in illud ingressus, ipsum usque ad horam matutinalem inquietatum multimode, a sanctæ orationis studio perturbavit; donec vocato socio, pulvinar cum dæmonio fecit extra cellulam longius exportari. Egressus autem cum pulvinari frater de cella, membrorum omnium vires amisit et usum; quo usque ad vocem sancti Patris, hoc cognoscentis in spiritu, vigor pristinus cordis et corporis sibi fuit plenarie restitutus.

60 Rigidus in disciplina super custodiam suam stabat; curam permaximam gerens de utriusque hominis puritate servanda. Quapropter circa conversionis suæ primordia, tempore hiemali, in foveam glaciæ plenam seipsum plerumque mergebat, ut et domesticum sibi hostem perfecte subigeret *, et candidum vestimentum pudoris a voluptatis incendio præservaret. Tolerabilius viro spirituali fore incomparabiliter, assererat, magnum sustinere frigus in carne, quam ardorem carnalis libidinis vel

D

Sanctus corpus suum subicit jejuniis, *

a

b

E

c
* in Ms. deest frigida

nisi ratio alter poscat, humi cubationibus, frigore, * Wadd. potiores

d

e

* al. asperitate

f

aspera tunica, expertus in molli pulvinari dæmonem tentatorem

g

h

F

Ab eodem fallaciter invitatus ad vitam molliorem,

* Vatic. et Wadd. subiceret

A vel modicum sentire in menti *i*. Cum autem apud eremum de Sarthiano *k* nocte quadam orationi vacaret in cellula, vocavit eum hostis antiquus, tertio dicens: Francisce, Francisce, Francisce. Cui cum, quid quaereret, respondisset, fallaciter ille subjunxit: Nullus est in mundo peccator, cui, si conversus fuerit, non indulgeat Deus; sed quicumque semetipsum poenitentia dura necaverit, misericordiam non inveniet in aeternum.

64 Statim Vir Dei per revelationem cognovit hostis fallaciam, quo modo nisis fuerit eum ad tepida revocare: nam hoc sequens indicavit eventus. Continuo enim post hoc, ad insufflationem illius, cujus halitus prunas ardere facit *l*, gravis ipsius carnis tentatio apprehendit. Quam ut praesens castitatis Amator, deposita veste, chorda coepit se verberare fortissime; Eia, inquit, frater asine, sic te decet manere, sic subire flagellum. Tunica religioni deservit, sanctitatis signaculum praefert: furari eam libidinoso non licet. Si quo vis pergere, perge. Insuper et mirando fervore spiritus animatus, aperta cella, foras exivit in hortum, et in magnam demergens nivem corpusculum jam nudatum, septem ex ea plenis manibus coepit compingere massas, quas sibi proponens, suo sic exteriori homini loquebatur.

65 Ecce, inquit, haec major uxor tua est; quatuor istae duo filii et duae filiae; reliquae duae servus, et ancilla, quos ad serviendum habere oportet. Festina igitur omnes induere, quoniam frigora moriuntur. Si vero eorum multiplex sollicitudo molestat, uni Domino solliciti servi. Illico tentator victus abscessit, et Vir sanctus cum victoria in cellam rediit: quia dum bene poenaliter arsit *m* foris, ardorem interius sic extinxit libidinis, ut deinceps tale aliquid minime sentiret. Quidam autem frater, qui tunc orationi vacabat, haec omnia, luna clarius incedente, prospexit. Comperto Vir Dei, quod haec ille nocte vidisset, reseraus ei tentationis processum, praecipit, ut, quamdiu ipse viveret, nulli viventi rem, quam viderat, propalaret *n*.

66 Non solum autem mortificari debere, docebat, vitia carnis, et ejus incentiva frenari; verum etiam exteriores sensus, per quos mors intrat ad animam, summa vigilantia custodiri. Mulierum familiaritates, colloquia et aspectus, quae multis sunt occasio ruinæ, sollicitus *o* evitari jubebat; asserens per hujusmodi debilem frangi, et fortem saepe spiritum infirmari. Harum contagionem evadere conversantem cum eis, nisi probatissimum virum, tam facile dixit, quam juxta Scripturam in igne ambulare et non comburere plantas *p*. Siquidem ipse adeo avertit oculos suos, ne hujusmodi vanitatem viderent, quod (sicut aliquando socio dixit) quasi nullam recognoscebat in facie. Non enim securum esse putabat, earum formarum introitus haurire imagines, quae possunt aut edomite carnis resuscitare igniculum, aut pudicæ mentis maculare nitorem. Asserebat etiam, frivolum esse mulieris colloquium, excepta sola confessione, vel instructione brevissima, juxta quod et saluti expedit et congruit honestati. Quæ sunt, inquit, Religioso cum muliere tractanda negotia, nisi cum sanctam poenitentiam, vel melioris vite consilium religiosa petitione deposcit? Ex nimia securitate minus cavetur hostis; et diabolus, si de suo capillum potest habere in homine, cito crescere facit in trabem.

64 Otium autem, omnium malarum cogitationum sentinam, docebat summopere fugiendum, exemplo demonstrans, rebellem carnem et pigram disciplinis continuis et fructuosis laboribus esse domandam. Unde corpus suum Fratrem asinum appellabat, tanquam laboriosis supponendum oneribus, crebris cadendum flagellis, et vili pabulo sustentandum. Si quem vero cernebat, otiosum et vagum aliorum velle manducare labores, Fratrem muscam nominandum censebat; eo quod talis nihil boni faciens, sed benefacta inficiens, vilem et abominabilem se omnibus reddat. Propter quod

dixit aliquando: Volo, fratres meos laborare et exercitari, ne otio dediti per illicita corde aut lingua vagentur *q*. Evangelicum siquidem volebat a fratribus observari silentium, ut videlicet ab omni otioso verbo omni tempore abstinerent solite, tanquam reddituri in die judicii de hujusmodi rationem *r*. Sed et si quem invenisset fratrem verbis assuetum inanibus, acriter arguebat *s*; taciturnitatem modestam et puri cordis affirmans custodiam, et non modicam esse virtutem, pro eo quod mors et vita fore dicuntur in manibus linguæ *t*, non tam ratione gustus, quam ratione loquelæ.

65 Licet autem pro viribus ad vitam austeram fratres induceret, non tamen ei placebat districtio- nis severitas, quæ pietatis non induit viscera, nec est discretionis sale condita. Cum enim quadam nocte unus ex fratribus præ nimietate abstinentiæ admodum fame cruciatus nullam posset habere quietem; intelligeretque pius Pastor, ovi suæ imminere periculum, vocavit fratrem, apposuit panem, et, ut ruborem illi tolleret, coepit ipse prior comedere, eumque ad manducandum dulciter invitare. Deposuit frater verecundiam, sumsit cibum, gavisus quamplurimum, quod per circumspectam condensationem Pastoris et corporis evasisset dispendium, et non modicum accepisset ædificationis exemplum. Mane facta, fratribus convocatis in unum Vir Dei referens, quod acciderat nocte, provida commotione subjunxit: Sit vobis, fratres, non cibus, sed caritas in exemplum. Docuit insuper eos discretionem sequi *u*, ut aurigam virtutum, non eam, quam caro suadet, sed quam edocuit Christus; cujus sacratissimam vitam expressum constat esse perfectionis exemplar.

66 Et quoniam Agnum sine macula, Christum crucifixum, non est possibile homini, carnis infirmitate circumdato, sic perfecte sectari, quin aliquas contrahat sordes; ideo documento certo firmabat, eos, qui perfectioni vitæ invigilant et intendunt, quotidianis debere se lacrymarum emundare fluentis. Licet enim *y* jam esset adeptus cordis et corporis puritatem mirabilem, non cessabat tamen lacrymarum in tribus jugiter oculos expiare mentales, corporeorum luminum non ponderando jacturam. Cum enim ex continuo fletu infirmitatem oculorum incurrisset gravissimam, suadente sibi medico, quod abstinere a lacrymis, si corporei visus cæcitatem vellet effugere, Vir sanctus respondit: Non est, frater medice, ob amorem luminis, quod habemus commune cum muscis, visitatio lucis aeternæ repellenda vel modicum: quia non spiritus propter carnem, sed caro propter spiritum beneficium lucis accepit *z*. Malebat siquidem corporalis visus lumen amittere, quam lacrymas, quibus oculus mundatur interior, ut Deum videre valeat, repressa devotione spiritus impedire.

67 Cum autem semel daretur consilium a medicis, et instanter suaderetur a fratribus, ut pateretur sibi per remedium subvenire cocturæ *aa*, humiliter Vir Dei assensit; quia salutarum hoc simul et asperum esse cernebat. Vocatus itaque venit chirurgus, instrumentum ferreum igni submittens ad faciendam cocturam. At Christi Servus, corpus jam horrore concussum confortans, sicut amicum, coepit ignem alloqui, dicens: Mi, frater ignis, præ ceteris rebus æmulandi decoris, virtuosum, pulchrum et utilem te creavit Altissimus; esto mihi hac hora propitius, esto curialis. Precor magnum Dominum, qui te creavit, ut tuum mihi calorem temperet, quo suaviter urentem valeam sustinere. Oratione finita, contra igne candescens ferreum instrumentum signum crucis edidit, ac deinceps intrepidus persistebat. Profundatum est crepitans ferrum in tenera carne, et ab aure usque ad supercilium coctura protracta. Quantum irrogaverit ignis ille dolorem, Vir ille sanctus expressit. Laudate, inquit ad fratres, Altissimum, quia vere dico vobis, nec ignis ardorem sensi, nec carnis ullum dolorem. Et conversus ad medicum: Si non est,

AUCTORE
S. BONAVEN-
TURA.

q
* in Wadd.
deest siquidem

r
s

t

(acto et verbis
docet, severi-
tatem vite
charitate tem-
perandam.

E

u

Ex continuo
lachrymis pe-
riclitans de
visu

x

y

* Vatic. tam

F

* Sur. regressa

cauterium sine
dolore susti-
net,

aa

* Vatic. chi-
rurgicus

* apud Wadd.
deest ille

AUCTORE
S. BONAVEN-
TURA.
* *ibid.* add.
ferrum
stupente chi-
rurgo; potu
aque in vinum
conversae sub-
ito convalescit.
* *in Ms. deest*
in
* *Sur. devene-*
rat
* *Ms. Factori*
bb

* *Wadd. Viri*
sanctitas

cc

Graviter
agrotans caele-
sti musica re-
creatur;

est, inquit, caro bene decocta, imprime iterum *.
68 Expertus medicus in * invalida carne virtu-
tem spiritus tam potentem, miratus est, et divinum
hoc miraculum extulit, dicens: Dico vobis, fratres,
vidi mirabilia hodie. Quia enim ad tantam perve-
nerat * puritatem, ut caro spiritui, et spiritus Deo
harmonia mirabili concordarent, divina ordina-
tione fiebat, ut creatura Creatori * suo deserviens,
voluntati et imperio ejus mirabiliter subjaceret.
Alio enim tempore apud eremum S. Urbani *bb*
Servo Dei aegritudine gravissima laborante, cum
ipse, naturae defectum sentiens, vini poculum pos-
tulasset, nihilque de vino, quod sibi dari posset,
responderetur adesse, jussit quam adferri, et allatam
signo crucis edito benedixit. Mox vinum
efficitur optimum, quod fuerat aqua pura; et quod
deserti loci paupertas non potuit, Viri sancti puritas
* impetravit. Ad ejus gustum tanta protinus
facilitate convaleuit, ut saporis novitas, et innovatio
sanitatis gustabile ac gustantem supernaturaliter
innovantes, perfectam in ipso expoliationem ven-
teris hominis et inductionem novi *cc* duplici atte-
statione firmarent.

69 Non solum creatura Servo Dei serviebat ad
nutum, sed et Creatoris ubique providentia con-
descendebat ad placitum. Cum enim tempore quo-
dam, ex multarum infirmitatum concursu aggra-
vato corpore, ad jucunditatem spiritus excitandam
alicujus audiendi soni harmoniaci desiderium ha-
buisset; nec id honestatis decentia per ministerium
fieri pateretur humanum, adfuit angelorum obse-
quium ad Viri sancti placitum adimplendum.
Nocte etenim quadam, vigilante ipso, et meditante
de Domino, repente insonuit cithara quaedam
harmoniae mirabilis, et suavissimae melodiae. Non
videbatur aliquis; sed transitus et reditus citha-
raedi ipsa hinc inde auditus volubilitas innuebat.
Spiritu in Deum directo, tanta fuit in illo dulcisono
carmine suavitate perfruitus, ut aliud se putaret
saeculum commutasse. Hoc et fratres sibi familia-
res non latuit, qui per certa frequenter conspicie-
bant indicia, eum tam excessivis et crebris conso-
lationibus a Domino visitari, ut nec ipsas omnino
occultare valeret.

Extra nocte
cum socio per
viam divinitus
illustratur.
dd

ee

* *Ms. alias*

70 Alio quoque tempore, Viro Dei praedicationis
causa inter Lombardiam et Marchiam Tervisina-
nam *dd* iter agente cum fratre socio juxta Padum,
tenebrosa noctis supervenit obscuritas. Cumque
via esset exposita periculis magnis et multis propter
tenebras, fluvium et paludes, dixit socius ad
Virum sanctum: Ora, Pater, ut de instantibus
periculis liberemur. Cui Vir Dei cum fiducia multa
respondit: Potens est Deus, si placet suae dulcedi-
ni *ee*, tenebrarum effugata caligine, beneficium
nobis impendere lucis. Vix sermonem compleverat,
et ecce, tanta lux illico coepit circa eos superna
radiare virtute, ut nocte aliis * existente obscura,
ipsi luce clara viderent non solum viam, verum
plurima circumquaque: cujus lucis ducatu corpora-
liter directi, et spiritualiter confortati, usque ad
locum hospitii per non modicum viae spatium cum
divinis hymnis et laudibus incolumes pervenerunt.
Perpende, quam mirandae fuerit Vir iste mundi-
tiae, quantaeque virtutis, ad cujus nutum suum
ignis ardorem contemperat, aqua saporem com-
mutat, angelica praebet melodia solatium, et lux
divina ducatum, ut sic sanctificatis Viri sancti
sensibus, omnis probetur mundi machina de-
servire.

ANNOTATA.

a *In Epistola ad Galatas cap. 3, v. 24. In editione Waddingi deest vox autem.*

b *In editione Waddingi desunt ista Difficile namque etc. huc usque.*

c *De potu vini etiam habet codex noster Ms.; sed editiones Vaticana, Suriana et Waddingiana solum de potu. Videtur tamen prior lectio praefenda, quia mox sequitur: Cum et de aqua etc.*

d *Nimirum quia Christus Dominus in Evangelio Lucae cap. 10, v. 8 septuaginta duos discipulos mitens ad praedicandum ait: Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate, quae apponuntur vobis.*

e *In Ms. nostro et tribus saepe dictis editionibus: contactus, quae lectio videtur genuina; ut suspicer, contentus ex solo typhothetae vitio apud Sedulium legi.*

f *Consentit codex noster Ms.; sed editio Vaticana et Suriana habent: contereuremur. Waddingus vero totam hanc periodum praetermisit.*

g *Matthaei cap. 11, v. 8.*

h *Vide Matthaeum loco mox citato.*

i *Haec quoque tota periodus deest in editione Waddingi.*

k *Sarthianum Hetruriae oppidum est in agro Senensi, non procul a civitate Clusio, vulgo Chiusi, prope quod oppidum, secundo scilicet ab illo lapide, S. Franciscus pauperculum conventum construxisse dicitur apud Waddingum ad annum 1212, num. 1.*

l *Lib. Job cap. 41, v. 12.*

m *Arsit etiam legit Surius; sed sine dubio legendum est: Alsit cum codice nostro Ms. et editione Vaticana, in qua legitur Alxit.*

n *Surius post praemissa verba ipsum carnis tentatio apprehendit, cetera huc usque paucis his verbis non satis accurate reddidit: Quam ut Vir Dei sensit, illico se durissimis caedendo flagellis et in nives se projiciendo effugavit.*

o *Codex noster Ms. cum editionibus Vaticana et Suriana rectius habent: sollicitus. Waddingus hic rursum omnia usque ad finem hujus numeri omisit.*

p *Proverbiorum cap. 6, v. 28.*

q *Haec quoque a vocibus Propter quod desiderantur in editione Waddingi.*

r *Matthaei cap. 12, v. 56.*

s *Reliqua usque ad finem hujus numeri desunt apud Waddingum.*

t *Proverbiorum cap. 18, v. 21.*

u *Tres quoque Socii in Appendice num. 39 observant, soluisse Sanctum in comitiis generalibus arguere Fratres, qui nimis erant sibi ipsis austeri, vigiliis, jejuniis et corporalibus exercitiis nimium insudantes etc.*

x *In Ms. nostro et editionibus Vaticana et Suriana deest: Christum.*

y *Surius: Ipse vero, licet.*

z *Deest haec periodus apud Waddingum.*

aa *Id est, cauterii. Vaticana et Waddingi editiones pro subvenire rectius habent: subveniri.*

bb *Waddingus ad annum 1215, ad quem factum hoc ex Mariano retulit, castrum S. Urbani situm ait in comitatu Narniensi, ac prope illud S. Franciscum habuisse eremiticum quemdam et derelictum in asperrimo monte... locum. Sed in Commentario praevio § 18 monuimus, castrum illud locumque fuisse in Piceno apud Aesinates. Lege dicta ibidem.*

cc *A Collossenses cap. 5, v. 9 et 10.*

dd *Editiones Vaticana et Waddingiana habent: Tervisanam. Est autem Marchia Tarvisina, cujus caput Tarvisium episcopalis civitas est, ampla Italiae provincia sub dominio serenissimae reipublicae Venetae.*

ee *Waddingus: Si sibi placet.*

CAPUT VI.

De humilitate ejus et obedientia, et de condescensionibus divinis ei factis ad nutum.

Omnium virtutum custos et decor humilitas copiosa Virum Dei ubertate repleverat. In propria quidem reputatione nihil erat, nisi peccator; cum in veritate speculum esset et splendor omnimode sanctitatis. Super hanc studuit edificare seipsum, ut sapiens architectus fundamentum praeparans, quod a Christo didicerat. Dicebat, propter hoc Filium Dei de altitudine sinus paterni ad nostra despiciabilia

Humilitatis
sectator exi-
mius horret
a laudibus.